



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

XLVI. Executor an possit procedere contra exemptos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

& tendentes ad eundem effectum, etiam si sint sub diversis datis, ut rejecta opinione Jo. And. scribit Fely in cap. in nostra, nu. 2. de Rescript. Limita 10. nisi ante secundam provisionem esset alteri jus quæsitum, Card. conf. 33. in si Lud. Rom. conf. 413. Lap. alleg. ult. in si. ubi quærit quomodo potest quid petere possessionem beneficii ex duplici titulo. Limita 2. nisi habens collationem beneficii à superiore, impeteret postea aliam ab inferiore; potest enim superior tunc eum privare beneficio, quia est quædam ingratitudo, & elusio erga superiorem, ob quam inducitur causa privandi eum, Abb. in cap. cum olim. col. 9. de Rejud. Limita 3. nisi iste duplex titulus tenderet ad diversos seu contrarios effectus in eadem persona, Lud. Rom. conf. 350. incip. casu proposita, Fely. d. cap. in nostra.

Verum quæstionis est, an quia datur istis Executoribus facultas conferendi, ut hic, censeatur etiam concessa potestas conferendi beneficia vacantia ex causa resignationis; seu an possint recipere resignationem alicujus, volentis in eorum manibus resignare, ut ea recepta provideant. Quæstionem hanc breviter discutit Flam. Paris. lib. 7. de resignat. quest. 22. eamque resolvit negativè, quia necesse est ut expressè committatur receptio Resignationis, cap. dudum. in pr. cum ibi notat. de Præbend. in 6. Coras. de Benef. part. 1. cap. 8. nu. 17. Sed quid si conferant ante receptas litteras? Collatio erit nulla: quia si non habent exercitium potestatis ante præsentationem, ergò non valet actus etiam si habeat in habitu, Lud. Rom. conf. 354. Fely. in cap. suscitatus, nu. 13. de Rescript.

PER CENSURAM ECCLESIASTICAM) De hac Executorum potestate textus est notabilis, & ibi glos. in cap. cum nostris, 6. de concess. præbend. Navar. in cap. si quando, in 7. causa nullitatis, nu. 2. & 3. Poterunt itaque excommunicare contra dicentes, quòd intellige contradicentes sine causa, & de facto: nam tunc possunt excommunicari, & eo ipso cadunt à jure quod in illo beneficio forsan habent, ut statuit Inmo. VIII. in constit. incip. Officij nostri debitum, de data 1401. 8. Kalen. Feb. secundum quam Flam. Paris. dicit se vidisse judicari, anno 1590. de mense May, lib. 8. de Resig. benef. quest. 7. nu. 169. Aliud porro dicendum est de contradicentibus de jure, allegando justam causam scilicet priorem, aut aliud simile, quia isti non poterunt excommunicari si contradicant, aut non pareant litteris Executoris, Arg. cap. licet de Præbend. in 6. Fely. in cap. causam qua, nu. 10. de Rescript. Rebuff. in praxi in tit. de forma nove provisionis. Sed an possint procedere contra Exemptos? Hanc quæstionem ex professo tractat Erasmus à Chokier frater meus in suo tract. de Jurisd. Ord. in Exemptos, part. 4. quest. 64. ad quem brevitatè causa lætorem remitto.

PERSONIS PRÆTACTIS) Et sic nota Preciatis non obstare Expectativas, & alias Nominationes seu speciales reservationes, aut mandata

Executor
an confer-
re possit
ex causa
resignat-
ionis:

Executor
potest con-
tradice-
re excom-
municare.
Secus con-
tradictos
de jure.

Executor
an possit
procedere
contra Ex-
emptos:

de providendo ad alia beneficia, quo minus Preces Primariæ ipsius concessæ suos finem & effectum consequantur.

Sectio V.

De Clausulis Nonobstantiarum.

§. Primus.

NON obstantibus *n* nostris de non utendo gratia *b* expectativa, ac reservatione *c* speciali, vel duabus *d* gratiis in simul, ac de insinuatione, *e* publicatione, & diligentis per acceptantes desuper faciendis, ac in favore ordinatorum Collatorum, nec *f* non expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium & *g* graduatorum, ac sedis Apostolicæ præactæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, nec non quibuscunque in Cancellaria Apostolica, quando cunque publicatis *b* & publicandis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non aliis Ecclesiarum, (in quibus beneficia huiusmodi forsitan fuerint) statutis *k* & consuetudinibus illis, præsertim quibus in Ecclesiis, in quibus maiores, & minores huiusmodi præbendæ fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem præbendam asequi possit, & valeat, nisi illa de minori gradatim & per optionem ascendat, *m* iuramento *n* Confirmatione Apostolica, vel quavis *o* firmitate alia roboratis, *p* contrariis *q* quibuscunque. Aut si aliquibus super provisione sibi facienda de huiusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ sedis, aut Legatorum eius litteræ (etiam nostro vel eas concedentum proprio motu) aut cuiusvis, etiam quocunque respectu, & ad cuiuscunque instantiam sint concessæ, vel concedantur in posterum, aut si speciales de huiusmodi beneficiis per nos, vel sedem præactâ, aut quæcunque alia, aut quamcumque nominandi, & reservandi facultatem quibusvis, quæcunque *r* etiam Ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus per sedem prædictam concessarum, vel concedendarum, vigore reservationum, vel earundem facultatum obtentæ ad huiusmodi beneficia quarumcumque personarum *s* Nominations pro tempore factæ fuerint, quas quidem litteras (etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, vel decretum, seu alias quomolibet